



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Sectio V. De Contractibus, & Fraudibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)

SECTIO V.

DE
CONTRACTIBUS, ET FRAUDIBUS.

CAPUT I.

Contractus notio, divisio, & conditiones.

Contractus late sumptus est duorum aut plurium de eadem re conventio in uno saltem obligationem pariens; strictius sumptus in Jure definitur, quod sit ultro, citroque, seu mutua obligatio (*L. labeo ff. De verb. Signif.*). Definitio ista in sensu causali est accipienda; non enim contractus est ipsa formalis obligatio, sed hæc ex contractu seu conventionione veluti ex lege, quam sibi contrahentes posuere, sponte sequitur, jamque naturalis, jamque simul civilis est.

Dividitur autem contractus in *nominatum*, & *innominatum*. Ille certum aliquod in jure, aut humano commercio nomen accepit; hic anonymus mansit, & quadrifariam initur videlicet: *facio, ut facias: do ut des; facio ut des; do ut facias*. Exempli gratia *do tibi superfluum meum oleum, si mihi de tuo vino tantumdem præbeas &c. faciam auferri hanc fenestram, si tu facias auferri illam januam &c.*

Contractus nominatus i. alius in utilitatem solius dantis; alius in commodum solius accipien-

Godeau Theol. Mor. Pars II.

O

pien-

pientis; alius in utriusque contrahentis vel plurius emolumentum cedit. 2. Alius *gratuitus*, in quo aliquid datur, quin quidquam pro eo accipiatur, uti in donatione, commodato &c. alius *onerofus*, in quo quidquam pro dato accipitur, uti in venditione, locatione. 3. Alius *bonæ fidei*, in quo nædum id, quod expressum est, sed & aliud juxta æquum boni viri judicium utcumque connexum servari debet: alius *stricti juris*, in quo expressis verbis unice instituitur. Inter hos mutuum, stipulatio, donatio, promissio gratuita, legatum, testamentum &c.: inter illos emptio, venditio, conductio, locatio, depositum, commodatum, pignus, permutatio, societas &c. occurrunt. 4. Alius *nudus*, qui obligationem solum naturalem non civilem debet, & tales sunt omnes contractus innominati necdum adimpleti, sicut & promissiones de contractu nominato ineundo &c. alius *vestitus*, qui adjuncto quodam firmatus obligationem etiam civilem parit, judicisque assistentiam experitur. Adjuncta, quibus contractus vestiuntur, præcipua sunt juramentum, testes, scriptura, rei conventæ traditio, executio. 5. Alius *imperfectus*, cui aliquid deest; alius *perfectus*, cui quo minus obliget, nihil deest; hanc autem perfectionem nonnullis contractibus solus consensus rite expressus: aliis instrumentum scriptum; aliis ipsa rei traditio adfert. 6. Denique contractus alius est *formalis*, seu explicitus, qui verbis vel signis expressis inicitur, uti emptio, venditio &c. alius *virtualis*, seu implicitus, aut quasi contractus, qui tacite per aliquod factum,

aut libere susceptum iniri præsumitur. Tales contractus omnibus publicorum munerum, ac officiorum acceptationibus se ingerunt; ita, ut, qui ea suscipiunt, non secus ac si verbis spondidissent, ad sui muneris partes obeundas, ex iustitia obligentur.

Omnis contractus validus, etiam nudus, pro foro saltem interno obligat (a). Ut autem validus sit contractus, requiritur 1. personarum ad contrahendum habilitas; 2. rei ad alienandum capacitas; 3. consensus legitime manifestatus; 4. ea, quam leges præscribunt, forma.

Legitima ad contrahendum *habilitas* iis competit, qui sanæ rationis usum, ac liberam bonorum suorum administrationem habent. Hinc Paterfamilias de rebus sibi subjectis, & uxor de paraphernalibus pacisci potest, non de dote, aut bonis familiæ contra mariti voluntatem. Similiter filii nondum emancipati, circa castrensia bona absque parentum consensu valide contrahunt; non item circa adventitia aut profectitia; quia non horum, sed illorum dumtaxat administra-

(a) Triplex contractuum potest esse obligatio. *Naturalis* tantum, quæ ex jure naturali fluit: *Civilis* tantum, quæ ex legibus in præsumptione, hic & nunc falsa, fundatis oritur, & actionem in foro externo tribuit: *Mixta*, quæ ex utroque jure promanat, adeoque & conscientiam stringit, & externam actionem tribuit. Obligationem civilem non naturalem pactis nudis quædam leges denegant.

stratio eis est permiffa (a). Si tamen filii ad huc impuberes fiant, de quibuscumque contrahant, nihil agunt. Pupilli quoque sine tutorum confensu nihil possunt, nisi forte in proprium commodum contractus cedat. Idem de prodigijs absque curatorum præfensu contrahentibus juri ftatuunt (b).

Alienationis *capacitas* illis in rebus datur, quorum dominium, simul & administratio ei, qui contrahere cupit, plene competit. Hinc hypotheca, depositum, in contractum venire nequeunt; quia dominium in ea penes priorem possessorem manet, hujusque etiam restricta potestas

(a) *Bona castrensia* sunt, quæ a filiis per militiam sagatam; *quasi castrensia*, quæ per militiam cogitam, videlicet per officium publicum Medici, Judicis, Beneficiati &c. acquiruntur, utrorumque & dominium & administratio filiis competit: *Adventitia*, quæ filiis privato ex labore, aut donatione, hæreditate ab aliquo lineæ maternæ adveniunt: horumque dominium penes filios, administratio tamen & usufructus penes patrem manet: *Professitia*, quæ filii cum bonis patris negotiando, aut per interventum patris acquirunt, & tam dominium, quam administratio unice patri competit.

(b) *Filius vel filiafamilias* est proles sub patris cura, ac potestate degens, a qua eam de se nulla ætas liberat. *Minor* seu *minorennis* est proles jam pubes, patre orbata, cui patris loco curator præfensitur. *Pupillus* est proles adhuc impubes patre destituta, cui pro patre tutor constituitur. Pubertas in foemellis anno 12. in masculis anno 14. completo incepisse præsumitur.

testa: est. Super bona quoque ecclesiastica con-
trahi nequit; quia mera eorum administratio,
non dominium Præpositis est concessum. Si ex
necessitate, aut majore utilitate facienda eorum-
dem alienatio videatur, a Papa peti licentia de-
bet; nisi aliud speciale privilegium, aut consue-
tudo ferat. Pactum de re quadam danda sub
condicione turpi jure positivo non valet; si ta-
men semel impleta conditio sit, ex lege naturali
promissum dandi obligationem adesse cum sancto
Thoma communior tenet, damnum enim, aut
periculum, quod alter illicitum præstando subiit;
emolumentum aut delectatio, quam alter exinde
capit, pretio æstimari, atque adeo in pactum
deduci valide potest.

Consensus ad contractus valorem requisitus
1. verus, 2. liber, ac 3. mutuus sit oportet.
Hinc 1. si exterius tantum annutus fingatur,
mensque contrarium, videlicet non contrahere,
cogitet; contractus nullus est, nullamque per se
obligationem naturalem parit. Sic tamen con-
trahens propter duplicitatem cordis, & dolum
graviter peccat, utque compascentem servet
indemnem, vel rem ipsam dare, vel aliud æqui-
valens præstare tenetur, quod si recuset, conve-
niri coram iudice potest, qui ex verbis expres-
sis pro valore contractus pronunciabit. 2. Si
error substantialis interveniat, resque alia sive
numero, sive specie, quam tu exigebas, aut
alter promittebat, postea comperiat, contra-
ctus non tenet; quia in rem talem nullatenus
consensisti; secus foret, si rei sperata solummo-

do qualitas, primario ac unice non intenta de-
 esset. Si una pars consensum deneger, contra-
 ctus haud resultat; si tamen minis, gravique
 metu, etiam injuste incusso consensus obtineatur,
 quia hic adhuc voluntarius est, de jure natura
 contractum efficit; ast satis infirmum; quia pro-
 pter illatam injuriam rescindi coram judice po-
 test. Contractum matrimonialem gravi metu
 injuste extortum non valere, infra dicemus (a).

Contractuum *forma* in consensu, certis quibusdam
 caeremoniis, aut conditionibus vestito,
 consistit. Sicut diversi contractus, ita diversa
 eorumdem formae sunt. Imo idem saepe con-
 tractus diversis in provinciis diversa, quam le-
 ges praescribunt, forma celebratur. Non igitur

(a) Contractus injuste extortus, sicut & ille, qui
 jure sive naturali sive positivo est irritus, jura-
 mento non firmatur. Nam aliud est juramentum
 esse validum, & aliud, contractum juramento
 firmari. Juramentum est *validum*, quando potest
 servari sine peccato, & damno tertii; quamvis
 per illud nullum jus acquirat is, in cujus favo-
 rem factum est: sicque facile potest relaxari.
 Juramentum vero *firmat* contractum, quando
 huic jam valido, ac legitimo supervenit, ita
 ut non solum Religionis, sed & justitiae obliga-
 tionem inducat, alteriusque jus obfirmet; hinc
 obtenta juramenti relaxatione adhuc justitiae ob-
 ligatio, ex contractu valido orta, remanet, quae
 utpote realis, ad haereditates transit. Nihilominus
 contractum jure naturali validum, quem Jus po-
 sitivum unice in favorem contrahentis irritum
 decernit, hujus ipsius contrahentis juramento
 firmari, communior Doctorum opinio est.

generalis regula tradenda, sed municipalis lex præprimis est attendenda. Plura de hoc Juristæ scribunt, nonnulla in iis, quæ sequuntur, capitibus attingemus.

Sed quid; si contractus absque juris forma concludatur? valentne pro foro saltem interno? De hoc Theologi ipsimet non conveniunt. Eorum sententia mihi magis arridet, qui contractus contra vel præter legum præscripta initos quosdam validos, quosdam invalidos pro foro interno declarant. Contractus, quos Jura præcise fieri prohibent, semel facti valent, ac conscientiam ligant. Nam multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem (cap. ad Apostolicam. De Regular.). Quos vero leges civiles nãdum prohibent, sed & factos irritant, ac annullant, pro foro conscientia non obligant, præsertim si legibus sacri Canones subscribant, aut non refragentur. Hæc quippe potestas legislatoribus competit, justosque fines habet. Hinc est, quod matrimonialis contractus in gradibus prohibitis initus penitus nullus sit; e contra testamentum forma solemnni destitutum, usque dum expresse, ac juridice rescindatur, jus hæredi tribuat; quia quoad primum jus utrumque conspirat; cum tamen quoad secundum Jus sacrum civili resistat (cap. Relatum. de Testam.).



CAPUT II.

Restitutio ex contractu debita.

Antequam generalem tradamus restitutionis regulam a contrahentibus observandam, de-
 nuo scire oportet, inter contractus quosdam
 cedere in utilitatem solius *accipientis*, uti mo-
 ruium, commodatum, Precarium, Pignus, Hy-
 potheca, Fideiussio; alios in utilitatem solius
dantis, uti depositum; alios in utilitatem *utrius-*
que, uti Emptio & venditio, Locatio & Condu-
 ctio, Census, Cambium, Emphiteusis, Feu-
 dum, Asscuratio.

Non solum ex culpa Theologica, sed & iu-
 ridica illi, qui contractu se obstrinxerunt, res-
 tuere tenentur. Culpa juridica debite diligen-
 tiæ omissio est, & triplex a Juristis distinguitur:
lata, *levis*, *levissima*. Culpa *lata* seu *gravis* ob-
 est, quando diligentia omittitur, quam ejusdem
 conditionis homines in suis negotiis adhibere
 communiter solent. Culpa *levis* est omissio cau-
 tionis & diligentiae, quam diligentiores adhibent.
levissima est omissio diligentiae, & circumspectio-
 nis, qua viri prudentes, ac diligentissimi utun-
 tur. Differt a casu, tamquam eventu, quem
 nec diligentissimi prævidere, aut impedire pos-
 sunt. Si rem apud te depositam in loco paten-
 ti relinquis, culpam latam, quæ sæpe dolo æque
 paratur; si in loco non clauso, culpam levem;
 si in loco apparenter, sed non vere ac circum-
 specte clauso, culpam levissimam committis; si

denique rem optime custoditam, ac reclusam fractis repagulis fures auferant, eluvia, aut ignis consumant, casui imputandum erit.

Ex contractu primi generis, qui in accipientis utilitatem fit (precarium excipe) accipiens, si res apud ipsum pereat, ex culpa quacumque, etiam levissima ad ejus restitutionem tenetur; naturalis enim æquitas postulat, ut quicumque in sui commodum aliquid accepit, in eo servando diligentiam exactissimam adhibeat; unde si eam omittat, resarcire damnum alterius debet. Si tamen ex casu fortuito res perierit, restitutionis nulla est obligatio, nisi id expresse in pactum fuisset deductum, aut in accipientem (pro ut in mutuo contingit) translatum rei dominium sit, sic enim res non priori, sed moderno domino, videlicet mutuuario periret.

Ex contractu in solius dantis utilitatem cedente, si res apud accipientem pereat, hic solummodo ob dolum, vel culpam latam restituere tenetur. Hoc enim in casu accipienti nulla fit gratia, sicque ad majorem, quam communem diligentiam adstringi non potest. Aliud foret, si depositarius exempli gratia se ipsum obtulisset, si exactam curam promississet, aut pro rei custodia mercedem accepisset.

Ex contractu in utriusque commodum cedente ob latam seu gravem & levem culpam restituendi datur obligatio. Æquum enim est, ut accipiens, aut retinens rei in suam utilitatem concessæ curam habeat, non tamen exactissimam; quia non ille solus, sed etiam dominus

commodum ex ea reportat. Verum si res casu pereat, qui illam accepit, restituere non tenetur, nisi de hoc pacto expressum præcesserit. Nam si pacto adesset exempli gratia quasdam merces transferendi, qui illas transfert, restituere tenetur, si pereant; quemadmodum etiam si quindecim diebus id vendere distulisset, quod cum accepit, intra quatuor dies vendere promissit, restituere teneretur, si res corrumpere, aut periret, quia culpa sua promissa non implevit.

De quasi contractu eadem fere regula tenet. Si quis ex officio publico Medici, consilarii &c. quidquam in alterius commodum faciat, nihilque inde mercedis accipiat, tantummodo damnum ex dolo, aut culpa lata secutum resarcire tenetur; quia non pro suo, sed alterius emolumento agit. Si tamen officium, aut munus quaesivisset, consilium suum non rogatus obtulisset, vel mercedem recepisset, culpam levem, imo si sic conventum esset, etiam levissimam præstare deberet; sicut enim hic inversus est casus, ita & opposita ratio valet.

Hæ genericæ contrahentium obligationes sunt. Speciales magis Juristæ tradunt, quos sciendi cupidus consulere potest. Nos præcipuas tantum in iis, quæ sequuntur, capitibus exponemus. Prius de contractibus gratuitis, postea de onerosis acturi.

CAPUT III.

Promissionis, & donationis notio, ac obligatio.

Promissio est spontanea fidei obligatio, quæ cum deliberatione, & veritate fit de re possibili & licita. Dicitur 1. *Fidei obligatio*, quæ antequam alter eam acceptet, haud subsistit (a). 2. *Spontanea*, quia coacta promissio nullius est roboris. 3. *Cum deliberatione*, quæ deliberatio tanta esse debet, quanta ad mortale peccatum requiritur. 4. *De re licita*; quia de re mala non est servanda promissio. Hujusmodi Herodis promissio fuit Herodiadi facta, qua se ille temere obstrinxit, & quam sancti Joannis occisione crudeliter est executus. 5. *Cum veritate*; etenim si ficta sit promissio, obligationem non parit; quæ autem ex joco fit, aut urbanitate, nullam pariter obligationem inducit (b).

Pro-

(a) Multi censent ad promissionis gratuitæ acceptationem solam promissarii taciturnitatem sufficere; ad onerosam vero, e. g. matrimonii promissionem claris omnino verbis, vel signis expressam requiri. Sed quidquid demum de hoc sit, id saltem de promissione Ecclesiis, civitatibus, aliisque piis locis facta est verum, hanc enim tacita etiam acceptatione firmari communiter Doctores sentiunt.

(b) Ficta equidem promissio ex se ad nihil obligat; si tamen ex ea damnum promissarius patiatur, illud recompensare promissor debet. Porro præcipuæ promissiones, quas Jura irritas reddidere, sunt

Promissio hisce vestita conditionibus in gravi materia gravem justitiæ obligationem inducit. Unde si is, cui facta promissio est, ob infidelitatem promittentis damnum est passus, illud resarcire promissor tenetur; idque de promissionibus tam onerosis, quam gratuitis est verum. Melius proin est numquam promittere, quam promissa non servare; stulta enim ac infidelis promissio Deo displicet.

Cuivis Promissioni tacita hæc conditio inesse præsumitur: *Si res in eodem statu maneant, nec notabilem mutationem patiantur.* Hinc pluribus modis illius deficere obligatio potest. 1. Si inutilis, aut omnino noxia promissa res promissario fiat. 2. Si illicita, aut moraliter impossibilis promissionis executio evadat. 3. Si promissarius sponte obligationem remittat, aut fidem retro datam ipse servare nolit. 4. Si is, cui promissio gratuita est facta, ex amico in promissoris inimicum mutetur. 5. Denique si novæ ac improvise circumstantiæ emergant, in quibus statim ab initio promissio, saltem gratuita, facta non fuisset. Porro promissionem onerosam strictius, quam gratuitam obligare, et

sunt 1. Illæ quæ inducunt ad liberius peccandum. 2. Promissiones non condendi, aut non revocandi testamentum, talem vel talem instituendi hæredem, & similes aliæ, quibus libera de rebus suis disponendi potestas restringitur. 3. Promissiones Beneficii ecclesiastici nondum vacantis, five in communi ac indeterminati (cap. *Nulla. de Concess. Præbend.*), five in particulari & determinati (Conc. Later. III. cap. 8.).

earum notione, ac differentia cognosci facile potest.

Donatio est liberalis, ac deliberata doni largitio; donum autem quodvis datum gratuitum vocatur. Donatio gratuita sit oportet; nam si aliquid ob acceptum beneficium alteri traditur, potius debiti solutio, aut grata remuneratio, quam donatio est. Conditiones, quas supra pro valore promissionis adduximus, potiore jure ad validam donationem requiruntur, illique omnes, qui contrahere (pag. 219.) etiam donare possunt (a).

Duplex

(a) Jure positivo irritantur 1. Donationes, quas Novitii ante bimestre immediate sacram professionem præcedens sive Monasterio, sive aliis fecerunt (Trid. *Sess. 25. cap. 16.*). 2. Donationes bonorum immobilium absque Papæ licentia a Prælatiis, vel religiosis communitatibus factæ (Bull. *Ambitosæ.*). Fideicommissarius de fideicommissio nihil alteri donare potest. 4. Donatio inter vivos liberalis a marito uxori, aut vicissim facta invalida, aut saltem infirma & revocabilis est (L. 1. 2. & 3. ff. *de donat. inter vir. & uxor.*) sed juramento firmata, aut remuneratoria, aut valde moderata valet. 5. Eodem sensu, eademque limitatione donatio, quam pater filio non emancipato fecit, valore caret (L. *cum de bonis C. de donat.*); valet tamen donatio a filio patri, aut a matre filio facta, nisi leges municipales aliud quid decernant. 6. Donatio omnium bonorum, tam præsentium, quam futurorum (nisi forsan ad pias causas, aut mortis causa sit facta) suo robore destituitur (L. *Stipulatio. ff. de verbor. obligat.*). 7. Donatio quin-

Duplex a Doctoribus donatio distinguitur una *inter vivos*, altera *mortis causa*. Illa prius statim ac acceptata est, jus ad rem in donarium transfert, nec amplius revocari, nisi in certis casibus, potest: posterior, quoad donatus vixerit, suo effectu caret, facillique ex motivo imo pro arbitrio revocari potest, alio non revocata morte donatoris firmatur.

Casus, qui donationem inter vivos revocabilem efficiunt, tres assignantur. *Primus* est *in gratitudo* donatarii, uti si hic donatorem injuriis aut verberibus excipiat, insidias struat, grave damnum inferat, aut ei magna in necessitate constituto non succurrat. *Secundus* est *propter suscepta*, non praevisa, nec sperata; si nempe huic ex donatae rei traditione in sua legitima praerogativa praerudicium causaretur. *Tertius* est ipsius donationis *inofficiositas*, si nempe haec contra pietatem parentibus, aut filiis debitam sit facta, ita, ut eorum justam sublevationem, aut legitimam minuat.

Ab usurario, vel fure rem eandem in specie accipere non licet, quae usura vel furto intercepta est; nam juxta vulgatum juris axioma *Res clamat ad dominum*, eamque oportet restituere.

Quod si usurarius vel fur ad restituendum impos donatione fiat, tenetur ne donatarius restituere?

quingentos solidos excedens, invalida est (L. *mult. C. de donat.*). Sub *solido* aliqui unum aureum vulgo ducatum, alii duos intelligunt.

Ut recte huic quæstioni respondeam, peto, an donatarius cognoverit donantem impotentem ad restituendum donatione fieri; vel si cognovit, ad donandum impulerit, nec ne? Si hanc impotentiam cognovit, profecto restituere tenetur, quia damno alieno cooperatur. Auctores aliqui cum Petro Navarro putant, non teneri donatarium restituere, si furem vel usurarium ad donandum non impulit. Alius addit, ad restitutionem non teneri, nisi donans ex donatione præcise impos fiat; nam si donans homo esset industrius, qui artem aliquam exercendo restituere posset, & ex negligentia sua factus esset impos, tunc donatarius ad restituendum non adstringitur. Verum hæc ratiocinatio subtilis potius est, quam vera; nec in praxi amplectenda. Quemadmodum nec illa, quam idem Auctor subjicit, videlicet restituendi impotentiam non censeretur ex donatione profectam, sed ex prava usurarii voluntate, si hic restituendi voluntatem non habuit; nam prava hæc voluntas novum est peccatum, quo usurarius animus obfirmatur, nec ideo tertius debet damnum pati. Præterea nonne potest usurarius voluntatem mutare? Quod si muret, nonne ex donatione ipsa impos ad restituendum evadet?

CAPUT IV.

Testamenti notio, conditiones, & appendices.

Inter ultimas voluntates testamentum eminet, ac definitur voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri statuit, cum

cum directa hæredis institutione. *Solemne est*, in quo omnes, quas Jura præscribunt, solemnitates observantur. Solemnitates istæ diversis in provinciis diversæ sunt, easque ex legibus municipalibus discere oportet (a). *Minus solenne* dicitur, quod hujusmodi solemnibus ceremoniis caret. Talia testamenta fiunt a militibus in castris, a civibus tempore pestis, a rusticis in villis &c. quæ propterea *privilegiata* vocantur. Solemne testamentum quandoque est *mere nuncupativum*, dum nempe coram congregatis testibus hæres viva voce instituitur, eique legata exequenda committuntur; quandoque & *scriptum*, ac scriptis adnotatum, dum videlicet instrumentum coram testibus producitur, ac tamquam fide dignum ab ipsomet testatore subscribitur.

Testamentum, licet aliqua juris civilis, aut consuetudinis solemnitate careat, nihilominus quoad conscientiam valet. Hinc, qui hæreditatem adiit, solvere tenerur legata, præcipue ad pias causas a testatore facta; etenim quoad pia legata, id communiter Doctores tradunt, quamvis de valore testamenti profani inter sese dissentiant (b).

(a) Jure cæsareo septem requiruntur testes, tres, puberes, specialiter rogati, & idonei. 2. Coram his testamentum propria vel aliena manu scriptum & subscriptum suæ voluntati omnino conforme esse testator pronunciat. 3. Testes propria manu sua nomina subscribunt, & eodem ac continuo tempore sigilla apponunt.

(b) Circa testamenti hujusmodi valorem unice loci consuetudinem, & judiciorum praxim attendenda.

Ad condendum testamentum per se nulla lex obligat; plerumque tamen, ut lites ac rixæ evitentur, testari per accidens necessum est. Christiani testamenta condituri meminerint se fideles esse, non ethnicos, ac proin oportere, ut fidei, pietatisque suæ monumenta relinquunt, non ambitionis, & vanitatis. Tot fideicommissa instituunt, totque condunt substitutiones, ut familias suas perennare velle videantur ii, qui infimo loco nati iniquis plerumque artibus aliquam familiæ suæ splendorem, ingentesque divitias compararunt. Terram ille nimis amat, qui de familia sua adeo est sollicitus, Parum Reipublicæ confert, ut hujusmodi familiæ sint æternæ, quando ex humanarum rerum vicissitudine illustres tot progenies extinguuntur.

Jure canonico testari prohibentur I. Clericū de bonis beneficalibus congruæ sustentationi superfluis,

dam esse, (P. Antoine existimat. Duas inter sententias, quarum una testamentum civili solemnitate destitutum absolute validum, altera simpliciter invalidum pronunciat, P. Billuart mediam tuetur, illudque partim validum partim invalidum esse docet, eo nempe sensu, quod testamentum sic factum ex testatoris voluntate valorem habeat; non tamen firmitatem: ob *valorem* (ait) potest hæres institutus, si nemo contradicat, hæreditatem tuto adire; ob *infirmitatem* potest hæres ab intestato juste excipere, hæreditatem petere, & adjudicatam retinere. Sicque pluribus conscientiæ perplexitatibus, & peccandi periculis obviatur. (Tract. de Contractibus, Diff. 2. a. 3. §. 3.)

Godeau Theol. Mor. Pars II,

P

perfluis, 2. Religiosi post emissum paupertatis votum. Jure civili testandi potestas adimitur
 1. Servis ad causas profanas. 2. Filiis imberberibus; nam puberes de bonis castrensibus, & cum licentia patris, etiam de adventitiis valide testantur. 3. Amentibus. 4. Prodigis ab administratione bonorum suspensis. 5. Obsidibus. 6. Possessoribus dubiis. 7. Ob crimen laesae Majestatis, vel aliud grave delictum ad carceres, vel mortem condemnatis.

Hæreditas proin nihil aliud est, quam successio in jure, quod defunctus habuit. Ille, qui sic succedit, hæres dicitur, & quidem *ex testamento*, si a testatore sit designatus, vel *ab intestato*, si ob conjunctionem propinguitatis ex juris dispositione defuncto in bonorum possessione vel totali, vel partiali succedat. Qui in linea recta descendente, vel defectu hujus in ascendente testatori junguntur, hæres *necessarii*; qui in collateralis, hæres *arbitrarii* reputantur, sicque hi, non vero illi, nisi ob gravem causam (*pag. 222.*) excludi ab hæreditate possunt.

Testamento sæpe superadditur codicillus, inseritur fideicommissum, aut legatum. Est autem *Codicillus* ultimæ voluntatis dispositio, qua circa ea, quæ in testamento sunt posita, aliquid explicatur, aut additur, aut diminuitur, quædam videlicet apponendo legata, fideicommissa &c. per codicillum nullus directe instituitur hæres, sed institutus supponitur.

Fideicommissum est ultimæ voluntatis dispositio, qua gravatur hæres ut vel totam hæreditatem,

tatem, vel ejus partem cuidam tertio tradat, qui proin hæres saltem mediate, & indirecte instituitur (a).

Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, qua hæres aliquid ceu donum particulare cuidam tertio relinquit, qui, quamprimum hæreditatem hæres adiit, jus ac dominium in legatum acquirit, illudque in suos hæredes transfundit. Id curare hæres debet, & præcipue pia legata, quæ ante alia sunt solvenda; ea præsertim, ex quibus missæ pro testatoris anima sunt offerendæ. Non sunt a Confessariis absolvendi hæredes, qui ista exequi negligunt, cum exequi possunt. Idem circa eos est observandum, qui legata perpetua temere omittunt (b).

Quatuor circa legata, ut eorum valor innolescat, circumstantiæ sunt animadvertendæ. Prima est conditio legato adjuncta, quæ quasi voluntatis testatoris suspensio est. Si conditio præsens, vel transactum tempus respicit, dummodo

(a) Hæredi, nimis fideicommissis gravato, lex quædam civilis. (quæ a suo auctore *Trebellianica* vocatur) facultatem concedit, ut solutis debitis, & funeralibus quartam hæreditatis partem sibi retinere possit, ne omnino frustra hæreditatem adierit. Similem concessionem alia lex, *Falcidia* dicta, hæredi excessivis legatis gravato tribuit.

(b) Alexander VII. hanc damnavit propositionem: *Annum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.* Est. num. 43.

modo vera sit, valet; tunc enim testatoris voluntas fit absoluta. Si vero conditio est futura, non sufficit eam quomodolibet compleri; sed oportet, ut juxta testatoris voluntatem compleatur. Exempli gratia ille, cui Bibliotheca est legata sub hac conditione, ut doctoratus lauream accipiat, si indoctus, & immeritus sola gratia vel pecunia ad istum gradum evehitur, non potest legatum accipere: quod si recipiat, restituere teneretur. Si Nicolaus aliquid Joanni legat ea conditione, si non nubat, Joannes etsi uxorem ducat, legatum non amittit; nam non nubendi conditio, utpote naturali libertati repugnans, tamquam injusta ac inhonesta in Jure reprobat. Econtra si conditionem testator adjicit, ut legatarius nubat, hic legatum accipere potest, etsi Religionem ingrediatur, non enim inhonesta est conditio, quæ hominem a perfectioni statu removet. Atque hæc universalis est regula, conditionem quamlibet inhonestam ac turpem tamquam nullam repelli, & pro non adjecta haberi juxta Authenticam de *sanctiss. Episcopis. §. sed & hoc. collat. 9.*

Secunda circumstantia est *modus* quo legata exequi testator jubet; qui modus utique dispositionem non suspendit, sed a legatario est strictè servandus.

Tertia circumstantia est *causa* legati, quæ vel impulsiva, vel finalis est, additisque conditionibus ac adimpletis obtinetur.

Quarta demum circumstantia est legati *specificatio*, quando nempe res ipsa demonstratur, veluti

veluti si dicatur: Lego Sempronio centum nummos, qui in meo scrinio sunt. Si error substantialis in hac specificatione irreperit, uti si nihil in scrinio reperitur, invalidum est legatum, at si triginta ibi inveniuntur, hi legatario sunt tradendi (L. 1. ff. de Dote præleg. §. vel.). Quodsi accidentaliter sit error, legatum non vitatur: veluti si testator dicat: Cajo lego prædium, quod a Petro emi: licet illud a Petro non emisset, adhuc legatum valeret.

Juxta has circumstantias probe examinanda sunt, quæ fiunt, legata; hæc enim sæpe vanitatem magis, quam caritatem præferunt. Hujusmodi sunt Beneficiorum fundatio, Capellarum ædificatio, atque his similia, quæ absque Ecclesiæ incommodo possunt prætermitti, nec admodum utilia vel necessaria sunt iis in locis, ubi pauperibus potius esset subveniendum. Beneficiorum patronatus suæ genti, familiæque relinquuntur, sua stemmata ædificiis jubentur apponi: uno verbo, cuncta pro familia fiunt, & sub pietatis velo ambitio tegitur. Summa vero injustitia tunc committitur, quando restitutionis loco pia legata conduntur. Quædam hæc est latrociniorum suorum cum Deo transactio, illique ea offeruntur, quæ ipse abominatur. Attamen hæc passim fieri conspiciamus, & dolemus, quæ pius, prudensque Confessarius numquam laudare, aut suadere poterit. Si quis Ecclesiam hæredem instituisset, filiis suis prætermittis, hanc se hæreditatem respuere clamat sanctus Augustinus, & alium quemlibet quærendum esse,

qui illam adeat, non Augustinum; patres tamen modo hortatur, ut, si quatuor filios habent, quinque numerent, addito nempe Jesu Christo, id est pauperibus. Ut pia legata instituant, suos filios exhereditare parentes non debent, sed neque parochiæ suæ pauperum oblivisci, hi siquidem cæli sunt janitores.

CAPUT V.

Depositum, commodatum, ac precarii notiones, & obligationes.

Depositum est contractus, quo aliquid alteri custodiendum traditur, quocumque placuerit, tempore repetendum. In depositi contractu dominium non in depositarium transfertur, sed penes deponentem manet. Ut perfectus sit hic contractus, rei traditio, ejusque in custodiam expressa acceptatio requiritur. Ordinarie res mobiles deponuntur; immobiles vero sequestrari dicuntur, usquedum cui cedendæ sint ex iuris decisione, ac judicis sententia constet.

Duplicis generis est depositum: aliud fit solum favore dantis; aliud favore dantis simul & accipientis, sicut quando huic pro custodiendo deposito pretium solvitur.

Si secundi generis sit depositum, quædam pro illius custodia præstare debet depositarius, quæ circa prioris generis depositum præstare non tenetur.

Depositi, commodati, ac precarii §. c. 231

Quæritur, an si domus ardeat, supellectilem suam absumi pati debeat depositarius, ut bona seruet, quæ sibi in depositum sunt tradita.

Ut rite quæstioni huic satisfiat, observandum est, an bona in depositum tradita majoris sint pretii, ac depositarii supellex; an vero minoris, vel æqualis. Si bona illa majoris sunt pretii, debet depositarius eadem servare, & suæ supellectilis jacturam pati; eam siquidem diligentiam in custodiendo deposito debet adhibere, qua in propriis servandis bonis utitur. Porro pretiosiora sane bona sua prius ille servaret, quam viliora, si utraque periclitarentur. Hoc tamen tunc verum est, quando depositarius sperare probabiliter potest, depositi dominum redditurum sibi fore rerum suarum pretium, quarum jacturam propter illum patitur; secus enim nemo sua bona tenetur amittere, ut aliena seruet. Potest depositarius hoc casu bonorum suorum, quæ perire passus est, ut depositum servaret, pretium petere; præsumitur enim ille hoc tacito pacto bonorum suorum jacturam fecisse, ut aliena servaret, si passum a se damnum alter resarciret. At si in utriusque favorem factum sit depositum, non potest depositarius nisi partem pretii petere supellectilis, quam amisit; nam hoc casu debet uterque damnum participare. Quod si in divitis domo excitaretur incendium, ibique aliquid a paupere fuisset depositum, suaderet caritas, ut dives suam supellectilem perire pateretur, quam depositum pauperis; facilius enim potest dives illam amittere supel-

lectilem, quam pauper depositi sui iacturam pati. Si vero cautionem hanc dives non adhibeat, saltem ex eadem caritate pauperis damnum resarcire debet. Alias depositarii obligationes ex iis, quæ supra (pag. 217.) diximus, colligere licet.

Commodatum est contractus, quo res alteri traditur, ut ea ad certum tempus, certoque modo utatur; neque per hunc contractum rei dominium transfertur, sicut in mutuo.

Qui alteri ad certum tempus rem commodavit, potest illam invito commodatario sumere, licet hic damnum aliquod patiatur, quando ipse, nisi eam recipiat, æquale damnum est passurus; non enim illam commodaturus fuisset, si ex hoc commodato aliquod sibi damnum eventurum prævidisset. Quæ ratio exceptiones destruit, quas Auctores nonnulli afferunt, videlicet non posse commodantem rem commodatam resumere, si aliquod ex commodato eventurum sibi damnum prævidit; censetur enim juri suo renunciassse; vel tunc solum posse commodantem rem commodatam repetere, quando commodatarius rem eandem aliunde possit obtinere.

Verum quid commodatario est agendum, si militum excursio, incendium, naufragium, aut quid simile eveniat? Respondeo, si res sibi commodata pretiosior sit, quam res propria, hujus potius iacturam, quam illius commodatarius pati debet; in commodatarii siquidem favore hic fit contractus.

Precarium eſt gratuita uſus rei conſeſſio ad nutum reuocabilis. Sicque a commodato dif- fert, ubi res ſemel conſeſſa, ante conuentum & elapſum tempus repeti nequit, niſi, uti jam diximus, æquale damnum, ob rem non repeti- tam, commodanti immineret.

CAPUT VI.

Ludi, ac ſponſionis deſcriptiones, & leges.

Ludus eſt contractus, vel pactum, quo luden- tes animi oblectandi cauſa paciſcuntur, ut victori cedat, quod uterque expoſuit. Dictum eſt, *animi oblectandi cauſa*, ut mala illa praxis excludatur, qua plerique ludo ueluti arti ope- ram navant, fraudibus utuntur, & vix unquam reſtitutionis debitum curant.

Ludorum duo ſunt genera: alii a ſorte om- nino pendent, ueluti taxillorum, & plerique alearum ludi, alique huiusmodi; alii ab inge- nio proſus pendent, ueluti latruncolorum lu- dus; alii uero ex utroque genere mixti, partim a ſorte, partim ab ingenio & induſtria dependent.

Alearum, taxillorumque ludi Clericis a ſa- cris Canonibus vetantur, illisque etiam intereſſe prohibentur (*Can. Apoſtol. 41.*); quemad- modum uero aleis ludere nequeunt, ita nec quidquam lucrari hoc ludo licite poſſunt; quam- obrem qui huiusmodi ludis ingentem pecuniæ vim ſunt lucrati, ad reſtitutionem tenentur iis faciendam, quibuſcum luſerunt. Verum ſi ludi

focii sint Clerici, præsertim si Beneficiati, satis est hoc lucrum pauperibus distribuere. Industria ludi non sunt Ecclesiasticis prohibiti, quævis sint de se sæpe mali, vel ratione scandalæ, vel propter temporis jacturam.

Laicis quoque taxillorum alearumve ludi sunt vetiti a civilibus legibus, ut ex Codice constat (*de Aleatoribus.*), & ex nostrorum Regum Edictis; ita ut ubi leges istæ vigent, in ludis hujusmodi lucrantes ad restitutionem teneantur, præcipue si illi, qui in ludo sunt victi, perdere non possint, veluti filii familias, famulæ maritatae, quas a maritis ludendi facultatem obtinuisse prudenter non præsumitur, Religiosi, & amentes.

Quoad industriae ludos, ex his quoque restituendi obligatio oritur, si fraus intervenit, si quis fallacibus chartis utitur, si suas mutare dolose, vel illas focii, aut has vidit, vel ex signo aliquo cognovit, vel si denique aliquid præter ludi leges commisit, ut lucraretur.

At si quis dubitaret, an ludentes dolo vicerint, necne, tenerentur ad restitutionem? Respondetur hunc ad restitutionem teneri, si contra ludi leges dolo usus est, quamvis fors illum juverit, quia ab initio mala fide possedit: quod si novit, socium absque hac fraude certo victurum fuisse, non solum id debet restituere quod accepit, verum etiam socii damnum resarcire; quod si non liqueat, an socius absque fraude vicisset, id solum teneretur restituere, quod accepit. Si quis alium vi & minis ad secum ludendum cogat,

gat, ſi vincat, non tenetur pecuniam ſuam reſtituere, quam antea perdiderat; illam tamen reſtituere debet, quam perdit ſocius a ſe ad ludendum coactus.

Si luſorum alteruter in ludo ſit rudis, alter vero ludum calleat, & ſocium vincat, hic lu-
crum reſtituere tenetur, quia adest mala fides.

Qui cum filiofamilias ludit, quem pecuniæ dominum eſſe dubitat, ſed patri ſuo illam ſurripuiſſe, reſtituere tenetur; ſi vero putet pecuniam ad filiumfamilias ſpectare, quia vel induſtria ſua, vel alterius dono acquiſivit, tunc non teneretur illam reſtituere, niſi ſumma eſſet notabilis, ejuſque jactura grave incommodum ipſi efferret.

Idem dicito de ludente cum fure, qui ablatam pecuniam ludo exponeret; hæc enim eſſet reſtituenda, nam ejuſdem dominium fur non habet. Similiter qui cum illo luderet, qui pecuniam apud ſe depoſitam exponit, quam ſi perdat, non habet, unde reddat; hic quoque teneretur reſtituere, quia ſocius alienam pecuniam exponit, quam ludo perdere nequit (a).

Alia

(a) Gravis proin peccati ſe reos conſtituunt 1. Qui prohibitos ludos frequentant. 2. Qui in ludo perdentes in gravem iracundiam, rixas, & blaſphemias prorumpunt. 3. Qui inordinato, ac nimio ludi amore abrepti ſtatu ſui officia negligunt, aliſque ſcandalum præbent. 4. Qui ſimul aut ſucceſſive notabilem ſummam amittentes grave ſuæ familiæ damnum inferunt, ac propterea

rea

Alia quoque exercentur fraudes in ludo, exempli gratia, se ludi nescium fingere, & peries perdere, ut deinceps ludere alacrius pergat socius, qui magnam pecuniæ vim amissurum creditur: hæc fraudes, industriæque a restitutione non eximunt. Ille etenim, qui hac arte vincitur, si alterius in ludo peritiam & industriam novisset, numquam cum altero ludere voluisset.

Sponsio est contractus vel pactum, quo de veritate, vel eventu alicujus rei certantes illi, cui veritas assistit, aliquid spondent, aut repunt, comperta veritate recipiendum. Duo de sponsionis justitiam requiruntur 1. Ut rei status aut eventus utrique incertus ac dubius appareat. 2. Ut præmium victori cedendum sit moderatum, & sponsorum facultati respondens. Unde si quis certam rei, de qua pignore certat, notitiam habet, restituere tenetur, quod spondendo lucratur. Ille quoque, qui nullam quidem rei notitiam habet; ac tantam pecuniæ vim (quod in Italia sæpe accidit) spondendo expe-

rea uxores ad jurgia, & maledicta provocant. 5. Qui variis dolis, ac fraudibus contra ludi leges utuntur. Porro materia, quæ respectu furti, etiam respectu ludi gravis censetur, & ad grave familiæ damnum sufficiens. De mala ledendi consuetudine illi mariti, & filii familias, qui de continuis, ac magnis discordiis domesticis se accusant, rite quærendi sunt, & examinandi, reique inventi absolvi non possunt, donec ludum frequentem, tot malorum seminarium, vitare incipiant,

vit, ac lucratur, ut alterius familia pessumdetur, excessum restituere tenetur; quia hujusmodi lucrandi modus civili commercio, ac societati nocet, nec a legibus permittitur.

CAPUT VII.

Emptionis & venditionis notio, ac justæ conditiones.

Emptio inseparabili nexu venditioni jungitur, estque contractus mutuo consensu perfectus, emptorem, & venditorem mutuo obligans; emptorem quidem ad rei pretium solvendum, venditorem autem ad mercem tradendam. Tria circa hunc contractum bene sunt perpendenda, videlicet Merx, pretium, & contrahendi modus, de quibus quædam distincte dicenda occurrunt.

Mercis nomine omnes res pretio æstimabiles, vel ex natura sua, vel aliqua lege ab humano commercio non exclusæ designantur. Hinc vendi nequeunt 1. Res spirituales, uti supra (Part. I. pag. 503. &c.) ostendimus. 2. Res alienæ. 3. Res quoad substantiam vitiosæ, uti vinum corruptioni proximum, animal latente morbo infectum; hæc enim nullius amplius sunt pretii. Res autem quoad quantitatem, vel solam qualitatem vitiatæ, uti vinum minus forte, aut equus recalcitrans &c. vendi possunt; earum tamen pretium minui debet, & emptor, præprimis imperitus, de isto vitio moneri. Quodsi emptorem tali præcise qualitate præditam emere intendet, & quæcumque alia ipsius fini non infer-
viret,

viret, venditor, vitiatam obrudens, ad damnum, quod emptori eveniret, resarciendum teneretur.

Pretium plerumque in pecuniæ consistit summa, quam mutuo consensu contrahentes determinant, ac triplex distinguitur videlicet *iniquum*, quod & *pium* dicitur, *medium*, & *summum*. Sic respectu ejusdem rei pretium iniquum erunt floreni 5: medium floreni 6: summum floreni 7. quodlibet usuale, & justum est ita ut si tres ejusdem bonitatis triticum pro tribus hisce diversis pretiis vendant, omnes communes a restitutione maneat. Si tamen qui frumentum deterius summo in pretio valde indigenti venderet, non solum caritatis, sed & justitiæ limites transenderet, & iniquum pretii excessum refundere emptori deberet. *Utile* istud pretium communi hominum negotiantium consensu determinatur, ac prout circumstantiæ ferunt, jam incrementa, jamque decrementa capit. Ne tamen rerum pretia nimium crescant, Principis sæpe potestas caver, dum carniæ, panis, frumenti, aliarumque rerum, quibus pauperes æque ac divites indigent, pretium taxat. Pretium istud *legitimum* vocatur, & usquequod aliud Princeps, aut Magistratus præscribat, indivisibile manet, civesque obligat. Hinc si quis alicui ignaro, aut peregrino pro majore, quam lex determinavit, pretio rem quamdam venderet, injuste ageret, ac nisi alia causa excuseret, reddere auctarium teneretur (a).

(a) Causæ, ob quas juste rerum pretia augentur, sunt 1. Mercis raritas, novitas, aut antiquitas.

Contrahendi *modus* non ubique idem servatur. De jure naturali emptio, & venditio mutuo consensu complentur, præsertim si mercis traditio, vel pretii solutio accesserit. Variæ de hoc leges municipales sunt conditæ; diversæ quoque, quas ipsi contrahentes faciunt, attendi debent conventiones, ac conditiones. Nonnumquam res alteri venditur addito *retrovenditionis pacto*, ut nempe elapso quodam tempore rem eandem venditori tradere emptor obligetur. Quandoque pactum *legis commissoriæ* adnectitur, quo res, si elapso certo tempore pretium non solvatur, tamquam non emptæ, ac libere alteri vendenda declaratur. Quandoque pactum *adjectionis in diem* superadditur, in eo consistens, ut si intra certum temporis intervallum emptor liberalior occurrat, res huic præ alio tradi possit. Nunc anticipatæ, nunc dilatæ solutionis pactum adjicitur, quo vel de pretio statim solvendo, & merce post certum tempus tradenda; vel e converso de merce illico tradenda, & pretii solutione ad certum tempus differenda

2. Utilitas, aut affectio magna venditoris erga rem. 3. Venditorum paucitas, & emptorum multitudo, quibus nonnisi multa pericula subeundo sufficientes merces conquiri, ac congeri possunt. 4. Minutæ, laboriosæ, ac molestæ venditiones. 5. Subhastatio, in qua per accidens quandoque rei pretium ultra vulgare & ordinarium ascendit. Si tamen venditor fictum licitatore, qui pretium augeat, subdole constitueret, pretii augmentum retinere non posset. Oppositæ rationes de pretii diminutione procedunt.

renda contrahentes conveniunt. Denique metrum in individuo jam est *indeterminata*, uti tres oves ex grege, tria modia ex acervo frumentario; jam *determinata*, ut hæc ovis: Porro hæc individualis determinatio aliquando fit *ad corpus*, id est de re tota prout sensibus subjacet, ut si dolium vini venditur absque respectu ad mensuram; aliquando ad *numerum, pondus & mensuram* attenditur, ut si decem vini cados vendas, ac pro quovis cado decem florenos tanquam pretium exigas.

De specialibus hisce pactis emptionis, venditionisque contractui appositis latius Jurista agunt. Hic tantum monere oportet, retrovenditionis pactum, nisi unice in favorem primi venditoris cedat, usurarium esse, aut de usura palliare satis suspectum. Si autem rem quamdam exempli gratia pro quinquaginta & quinque solidis credito Joanni vendas ea conditione, ut rem eandem pro quinquaginta solidis, statim solventis, Joannes retro tibi vendat, manifestam usuram committis, quidquid demum nonnulli probabiliter fautores reponant (a). Pacta legis commissoriae, & adjectionis in diem, si nulla fraus interveniat; & propter ea nonnulli pretium

(a) Hic contractus ab Hispanis *Mohatra*, ab Italiis *focho* dicitur, nihilque aliud est quam artificialis usura. Unde Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractus retrovenditionis prævie inito, & cum intentione lucri.* Num. 40.

pretium minuarur, iusta sunt, eaque in Jure approbationem habent (ff., & C. sub hisce titulis.) (a). Anticipata vero solutio tunc solummodo pretium minuendi jus tribuit, quando ex ea venditori quoddam emolumentum, & emptori vel lucrum cessans, vel damnum emergens consequitur. Econtra dilata solutio eo in casu pretium augendi facultatem venditori confert, quo huic ex ea damnum emergeret, aut verum lucrum cessaret.

Sed quid, si res empta, antequam emptori sit tradita, apud venditorem pereat; cuiusnam perit? Distinguendum est. Si res in individuo non sit determinata uti tria modia frumenti ex meo horreo, hoc igne absumpto, totum mihi, nihil emptori perit; unde si anticipata solutio sit, vel hanc emptori reddere, vel ubi potero, tria modia eidem tradere teneor; at si res determinata sit in individuo, & ad corpus, semel absolute vendita, nisi aliter fuerit conventum, tota emptori perit. Sic enim Jura disponunt (*de empt. & vendit. Instit. §. Cum autem.* Et

(a) Aliud est pactum legis commissoriae in emptione & venditione, aliud in pignore, illud in Jure permittitur: hoc interdicitur (*L. Quoniam C. De pactis. Et cap. Significante. de pignorib. & caut.*). Pignus siquidem communius suo valore crediti valorem superat, unde si statuto tempore debitor non solvat, totum in poenam retineri absque usura nequit. Si tamen pignus venderetur, ac deducto debito pretii residuum debitori redderetur, omnis usurae abesset suspicio.

Godeau Theol. Mor. Pars II.

Q

Et L. *Quod sæpe*. §. 4. ff. *de contrad. empt. & alibi*), & æquum est, ut emptor, qui rei nondum traditæ commodum percipit, etiam periculum & damnum suscipiat. Si tamen ex venditoris culpa, aut mora res periit, hic solus, quod causavit, damnum ferre debet, uti lege supra citata (§. *cum autem*) clare statuitur. Idem a fortiori dicendum si res sit quidem tradita, sed nondum solutum pretium.

Ex iis, quæ hucusque diximus, facilis quorundam casuum solutio erit.

Qui equum emeret, quem furtivum novit, vero domino reddere illum debet, vel ejus pretium. Quodsi post emptionem equum alteri vendidit; a quo illum verus dominus in judicio repetit, emptori reddere acceptam pecuniam tenetur.

Si quis moraliter sit certus, tempore solutionis pretium fore majus quam sit tempore contractus, ac merces suas, quas usque ad illud tempus servaturus non erat, credito vendit, & quidem pretio nunc indeterminato, instante tamen tempore solutionis determinato, injuriam committit, & restituere tenetur; quia cum damno alterius lucrum quæsit.

Qui magnam mercium copiam adventuram, & exinde pretium valde minuendum prævidet, suasque merces corrente pretio omnes vendit, injuste non agit; quia hic & nunc intra justum pretii cancellos stitit, & uti supponitur fraudem aut dolo emptori ignaro merces non obtulit.

Si tamen ad pauperiem redactus exinde improvidus emptor fuisset, caritatem graviter laesam nemo non lugeret.

Famulus mercede conductus, vel qui gratis, aut pretio promissit, se aliquid emprurum, non potest de accepta pecunia quidquam sibi vindicare, licet mercator amicitiae gratia mercem illi minoris vendat; secus agens ad restitutionem tenetur; quia ex officio suo mandantis utilitatem pro virili quaerere debet.

Sartor, qui viliores pannos seligit, vel horum immodicum a vestiendo pretium exigit, sperans mercatorem sibi aliquid remissurum, aut donaturum, restitutionem debet illi facere, in ejus usum vestes conficit, & qui pannos illos emi jussit (a).

CAPUT

(a) Quod si mercator propter ista munuscula non vendat carius, aut si cuicumque alteri non remississet partem pretii, sed majori pretio vendidisset, sartor iste aut haec munuscula sibi retinere, aut remissam pretii partem committenti computare possit; quia hisce suppositis nemini sit injuria. Verum fallaciter saepe mercatores loquuntur, ut emptores alliciant; dum nihilominus data munera majore pretio compensant, aut aequali pretio; si occasio se offerat, aliis etiam vendere sunt parati. Et ideo licet factum forte non damnam; faciendum tamen aegre consulerem. Ita P. Billuart (Tr. de Contr. Diff. 3. art. 12.).

Q. 2

CAPUT VIII.

*Locationis, & conductionis descriptiones,
& obligationes.*

Locatio & conductio est contractus, quo res vel persona aliqua alteri pro certa pecunia traditur, ut hic ex ea quosdam fructus capere, aut ejus opera uti possit. Sic famuli suam operam dominis locant, sicque locantur prata, vineæ, domus, animalia, resque aliæ, quæ vendi possunt. Qui rem alteri pro pretio certo tempore retinendam tradit, *locator*; qui eandem acceptat ac pretium spondet, *conductor* dicitur. Locatio a venditione differt; quia in hac totum rei dominium in emptorem transfertur: in locatione autem usus tantum aut usufructus ad conductorem transit, dominium penes locatorem manet.

Locatoris quadruplex est obligatio. *Prima* est, ut conductorem de rei locatæ vitio admonet, si quod habeat; secus tenetur de damno, quod conductor pati posset. Exempli gratia locator equi, quem solitum esse novit se in aqua prostrernere, mercatorem de hoc vitio debet admonere: alias si vitio equi merces corrumpantur, damnum sarcire equi locator tenetur: si vero locator vitium equi ignoret, nulli restitutioni est obnoxius.

*Alter*a locatoris obligatio est, ut conductori necessarias ab eo factas expensas rependat. Exempli gratia Paulus Joanni domum suam locat,

& Joannes necessarias huic reparaciones facit: deber Paulus has expensas Joanni rependere. Utiles quoque expensas rependere locator debet, si eas fieri assentiat; cum enim hæ quoque locatori lucrum aliquod afferant, æquum est ut expensas rependat.

Tertia obligatio est, ut damnum, quod ex gravi vel levi locatoris culpa conductor patitur, hoc illi locator reparet.

Quarta denique, ne locator ante locationis terminum rem locatam repetat, nisi iusta adsit repetendi causa. Quatuor autem iustæ sunt repetendi causæ. Prima causa est, si conductor exempli gratia domus locationis pretium non solvat; tunc enim potest quodcumque domo expelli, si ad breve tempus facta sit locatio: si autem ad quinque vel sex annos locata foret, oportet, ut saltem per biennium inquilinus canonem non solverit, juxta cap. *Propter sterilitatem* §. *verum* de locato. Secunda causa est, quando locator ipse re locata eget. Tertia causa est, si necessitas exigat, ut domus exempli gratia reficiatur; tunc siquidem potest inquilinus etiam invito domo expelli. Quarta tandem causa est, quando conductor re locata abutitur, sive eam aliis commodando, sive peccando, aut peccandi occasionem præbendo.

Quæri hic solet; an domum publicæ meretrici locare liceat, quæ turpem ibi quæstum exerceat, vel concubinario, qui concubinam ibi detineat? Si impudicis fæminis domum suam

quis locet, quidquid contra novi quidam Casti-
tæ dicant, certum est hunc graviter contra cari-
tatem peccare; præcipue vero si hujusmodi
fœminis majori pretio illam locet, quam aliam
locaret.

Neque recte affirmabis hanc locationem licitam esse, si locator malum finem non habeat de lucro dumtaxat respiciat. Sufficit enim, ut conductoris pravus vivendi modus notus sit, nec lucri spes potest efficere, ut alteri licite peccandi occasio præbeatur, aut turpem quæstum exercendi. Si domos ad incolendum hæ fœminæ non reperirent, urbes deserere cogerentur; & forsitan mores suos emendarent, cum se undique repelli conspicerent. Qui domos easdem locant, si non directe, indirecte saltem illarum peccata fovent: peccatum vero adeo christiano homini est abominandum, ut ab omni etiam ejus specie debeat abstinere. Aderunt alii, quibus locari domus queat: quod si nemo adit, satius sane est locationis pretium amittere, quam meretricibus asylum præbere, quæ publice luxuriam exercent, & urbium pestis vocari recte possunt.

Scio Romæ meretrices permitti, & fixum easdem domicilium dari: verum hoc pacto minus malum tolerant Pontifices, ut majus vitent. Attamen severa plura prodierunt Edicta, quibus hæ licentia compescitur; & plerique Pontifices, quemadmodum etiam sanctus Pius V. infelices has fœminas a prima Religionis Sede amovere curarunt. Hæ mulieres Galliarum urbes palam inco-

incolere Dei miserentis gratia non permittuntur: ita ut excusationem nullam possint prætexere, qui hujusmodi fœminis domos suas locant.

Quatuor quoque conductoris sunt obligationes. *Prima* est, ut re locata utatur juxta conventionem cum domino factam. Exempli gratia qui Parisiis equum conduxit, ut Aurelianum perat, non potest eo uti, ut Turones usque pergat, nisi de facili domini consensu præsumat: secus si equus in longiori hoc itinere moreretur, aut læderetur, teneretur conductor damnum reparare.

Secunda obligatio est, ne ante conventionis terminum rem locatam deserat, nisi justa deserendi adsit ratio; nam initum contractum servare debet.

Tertia obligatio est, ut rem locatam in specie, integramque reddat; etenim locatione non transfertur dominium: quod si conductoris gravi vel levi culpa res locata corrupta sit, tenetur ipse damnum reficere.

Quarta obligatio est, ut locationis pretium statuto tempore solvat.

Nihil sacræ Litteræ magis damnant, quam operariorum mercedem prompte non solvere; atque ex illorum numero hoc est peccatum, quæ in cælum clamant, & vindictam petunt. Attamen plerique divites in illud sæpenumero labuntur; etenim pauperes villicos laborare cogunt, nec tamen pactam mercedem solvunt; aut pro mercede res illis tradunt, quas supra justum va-

lorem æstimant; vel ab invitis diurnas operas exigunt, aut in excolendis agris, aut in ædificandis. Graviter hi quidem Deum lædunt & id omne reddere debent, quod hujusmodi operæ jure merentur.

Justum famulis salarium solvi debet, labor æquivalens, quem serviendo adhibent, & utilitati, quæ ab eorum servitio promanat; nec eorum necessitate abuti licet, qua pressi domini servire coguntur.

Neque ante pactum tempus sine gravi causa dimittere illos licet; secus pactum salarium integre solvi illis debet. Quod si famulus ante statutum tempus a domino discedat, sufficit ut illi solvatur salarium pro rata temporis, quo servivit.

Qui cum molitore exempli gratia pepigit, ut triticum familiæ suæ necessarium molat, tenetur pretium augere, si familiæ suæ numerus notabiliter & in longum tempus crescat; nam si hujusmodi incrementum prævidisset molitor, majus profecto pretium petiisset.

Qui certo pretio opus aliquod faciendum in se suscepit, seque in numerandis diebus, vel in labore suo æstimando fefellit, ita ut grave damnum patiatur, potest pretii augmentum petere; æquum enim est, ut justum laboris sui premium accipiat, saltem juxta boni viri æstimationem: jactare autem non debet se artifex, nec operam suam plus justo æstimare.

Agris famulis tenentur domini quantum possunt victum & medicamenta suppeditare, nec propterea debent eorum salaria imminuere, aut illos domo expellere, quemadmodum inhumani quidam domini solent, qui non satis considerant famulos suos Jesu Christi fratres esse, & erga illos caritatis officia debere se diligentius exercere, & illius Apostolicæ sententiæ meminisse, videlicet: *Si quis domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior* (1. Tim. 9.).

♦♦♦♦♦
SECTIO VI.

DE
USURA.

CAPUT I.

Usuræ definitio, & divisio traditur.

Usura hodie quasi torrens ruptis aggeribus omnia alluit, & Casuistæ non valida illi & tuta opponunt repagula, sed mille aperiunt vias, quibus impune se effundat. Majori propterea diligentia hoc argumentum a me est tractandum, & peculiare usuræ casus sunt attingendi, qui in Provincia & in mea Diœcesi evenire solent, ut super his Confessarios instruam.

Resolutiones, quas afferam, scio plerisque non placituras, qui ingentes ex usura divitias

25

sibi